

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Mayenne, Nr. 31**

G[aufrido], Dei gratia abbati Majoris monasterii, domino et amico suo, totique conventui Juhellus, dominus Meduane, salutem et sincere dilectionis affectum. [Vobis et omnibus quibuscumque litteras istas audire vel videre contigerit] notum fieri volo quod ego Juhellus, dominus Meduane, monachis meis ibi manentibus plenariam redditum feci restitutionem super quibus controversia inter me et ipsos vertebatur, et quicquid charta avi mei Juhelli esse sui juris probatur et continetur, literis meis annotari et, ut firmius teneatur, sigilli mei impressione feci roborari. Preterea ad domos eorum reparandas in quibus conventus possit honestius conversari C solidos cenomannensis monete ad presens donavi, testibus istis Guillelmo, abbatte Savignaci; Fulcone, abbatte Claramontis; Guillelmo, abbatte Sancte Marie de Campagnia; Guillelmo de Erqueneio, [Gaufredo monacho], Hugone Molnerio de Laceio, Gaufrido prefate domus priore, [magistro Petro, capellano meo], et pluribus aliis. Hoc actum est anno dominice incarnationis MCLXXXIX.